



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Eadem conditio inest legibus ecclesiasticis, ut obligare non censeantur, donec sint usu receptæ. Quæ est frequentior sententia Theologorum & Iurisconsultorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

blica decernuntur, & de jure publico, non adstringuntur his conditionibus. Discrimen enim intercedere inter jus privatum & publicum, præter Jurisconsultos, docet etiam Aristoteles, qui summam potestatem partitur in *δημοκρατικὴν*, quæ in jure ferendarum & tollendarum legum versatur, & in *πολιτικὴν*, seu *βουλευτικὴν*, quæ aut publicas actiones respicit, ut pacis, foederum, & belli; aut res ipsas, ut tributa & vectigalia; in quibus comprehenditur dominium eminens quod habet civitas in civis & res civium ad usum publicum. Addit & *δικαστικὴν*, quæ res controversas inter singulos dirimit, atque per magistratus exercetur. Leges quæ ad *δικαστικὴν* pertinent, & ad singulorum controversias dirimendas, egent tacito populi suffragio, ut dixi. Sed belli, pacis, foederum, vectigalium, & dominij illius eminentis arbitrium integrum ad summos Principes transcriptum est, solâ populis obsequij gloriâ relicta. Hoc significatum voluit Samuel, ut quibusdam visum est, cum jura regis recenseret; quorum usus ab arbitrio quidem Regis penderet, sed ita tamen ut cum utilitate publica conjunctus esset. Hic enim locum habet prudentissimum illud Platonis monitum, quod Ciceronis verbis referre malo quam meis: *Omnino qui Reipublica presaturi sunt, duo Platonis precepta teneant, ut quidquid agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum: Alterum, ut totum corpus Reipublice curent; ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Quare cum ea tempora læpissime incidant, in quibus aut propulsandus sit hostis, aut focij juvandi, vel aliud quid simile tentandum, & in eam rem pecuniæ parandæ sint, quas belli nervos esse dicebat Demosthenes; tum consilia rerum agendarum cum paucis communicanda sunt, ne in plures sparsa, hostibus pateant; tum pecuniarum exigendarum modus à solo Principe præscribendus est; ne dum populi consensus expectatur, aut occasiones rei bene gerendæ præterlabantur, aut in necessitatem adigatur Princeps publicandi consilij. Inde merito profectum est ut Principes belli, pacis, foederum, & tributorum rationem solis sibi reddi velint. Quod sæpe civium querelas immodestas provocat, qui sibi injuriam factam putant, cum dominio illo eminenti, quod vocat Aristoteles, facultatibus singulorum ad tuendum Reipublicæ corpus Principes utuntur, cum potius nunquam satis memorata Periclis sententia, apud Thucydidem, in uniuscujusque animo obversari deberet: *Sic existimo etiam singulis hominibus plus eam prodesse**

*civitatem, quæ tota rectè se habeat, quàm se qua privatis floreant utilitatibus, ipsa autem universim labores. Qui enim domesticas fortunas bene collocatas habet, patriam tamen eversam preceat & ipse necesse est. Contrà verò etiamsi quis in beata Republica parum felix est, multò tamen facilius per illam incolumis servatur. Quare cum civitas quidem singulorum possit sustentare calamitates, singuli autem publicas non item; quid est, cur non universim ipsi consulere ipsamque tueri oporteat, nec id facere quod vos facitis, dum quasi attoniti jactura rei familiaris, salutem proditis Reipublice. Quem sensum ita expressit Livius: *Reipublica incolumis, & privata res salvas faciliè præstat. Publica perdendo, tua nequicquam servas.**

V. Leges ecclesiasticæ eadem tacita conditione qua civiles adstringuntur, scilicet ut parendi necessitate Christianos non teneant, donec usû sint receptæ. Hæc est non solum Gallorum omnium, sed etiam celeberrimorum quorumque Doctorum sententia: quam trahunt à Gratiano, qui prolato Iuliani responso, subdit: *Leges instituantur, cum promulgantur; firmanur, cum moribus utentium approbantur. Quò videtur inclinare Augustinus, cum scribit, de legibus temporalibus homines judicare cum eas instituant; sed cum fuerint institutæ & firmatæ, non licere judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Hanc sententiam tuentur celeberrimi auctores Covarruvias & Navarrus. Illius hæc sunt verba: *Certum est legem nullam vim obtinere, si ab initio recepta non fuerit à subditis, quod Aristoteles docet II. Polit. cap. vj. & probatur l. de quibus. ff. de Legibus, cap. in istis. §. leges. iij. Dist. ubi scribit Domi. leges à Principe dari ea conditione & intentione, ut non aliter obligent, quàm si fuerint à Republica receptæ. Ad idem Glossa in cap. i. de Treuga & pace. gl. in l. rem non novam. §. Patroni. C. de judiciis. Et est communis opinio. Nam & maximè præsumendum est, eam legem, quæ à Republica non recipitur, minime ei convenire. Contra nituntur plerique, qui canonicas leges & pontificias exemptionem aliquid præ se ferre volunt. Illi ipsi tamen auctores hoc asserere non audent, nisi eo casu quo facilis sit & innoxia legis ecclesiasticæ executio. Nam si aliquo pacto utilitatem publicam ledat, ab ea recipienda fideles abstinere posse non invitus fateatur Suares. Quod ferè in priorem sententiam incidit.**

VI. Sanè si quis diligenter utrasque leges expendat, huic conditioni magis videatur obnoxia lex ecclesiastica quàm civilis, duplici ratione. Prima est, quia potestas ecclesiastica conceptis verbis data est

Cicero Officlib.

Dicitur.

Aug. de vita
lig. c. 31.Gerfon, Tract. de
vita igne. l. 1. c. 1.
Covarruvias l. 1.
Var. Roll. l. 1. c. 1.
n. 6. Navar. de
summa cap. 11.
n. 47.
Iouannes Mejer
Doct. Tract. de
a. dist. 17. c. 4.
Driedo l. 1. de
Libert. Civitas
docum. n. 1.
Arnilla verbo
Lex. n. 11.
Anglos. l. 1. c. 1.
Aer.Suarez l. 1. de
Legib. cap. 14.